



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XIX. Ipsam memoriam, cum aliquid per oblivionem amittit, non aliter ejus reminisci, quam aliquid simile vel connexum cogitatio, quod si omnino aboleatur, nec amissum quæri potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

jus nisi memor essem, quicquid illud esset, etiam si mihi offerretur, non invenirem, quia non agnoscerem. Et semper ita fit, cum aliquid perditum quærimus, & invenimus.

2. Veruntamen, si forte aliquid ab oculis perit, non à memoria, veluti corpus quodlibet visibile: tenetur intus imago ejus & quæritur, donec reddatur aspectui. Quod cum inventum fuerit, ex imagine, quæ intus est, recognoscitur. Nec invenisse nos dicimus quod perierat, si non agnoscimus: nec agnoscere possumus, si non meminimus, sed hoc perierat quidem oculis, memoria tenebatur.

N O T Æ.

Clara & elegans est hæc S. D. doctrina, unde optime concluditur, Deum intra memoriam quæri debere, & aliquam illius notionem, sive conceptum saltem obscurum nobis insitum esse.

C A P. XIX.

Ipsam memoriam, cum aliquid per oblivionem amittit, non aliter ejus reminisci, quam aliquid simile vel connexum cogitando, quod si omnino aboleatur, nec amissum quæri potest.

1. **Q**uid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit, cum obliviscimur, & quærimus, ut recordemur: ubi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio forte offeratur, respuimus, donec illud occurrat, quod quærimus, & cum

cum occurrerit, dicimus, hoc est; quod non diceremus, nisi agnosceremus, nec agnosceremus, nisi meminissemus. Certe ergo obliti fueramus. An non totum exciderat? Sed ex parte qua tenebatur, pars alia quaerebatur, quia sentiebat se memoria non simul volvere, quod simul solebat, & quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi, quod deerat, flagitabat. Tanquam si homo notus, sive conspiciatur oculis, sive cogitur, & nomen ejus obliti requiramus, quicquid aliud occurrerit, non connectitur; quia non cum illo cogitari consuevit, ideoque respuitur, donec illud adsit, ubi simul assuefacta notitia non inæqualiter acquiescat. Et unde adest, nisi ex ipsa memoria? Nam & cum ab alio commoniti recognoscimus, inde adest. Non enim quasi novum credimus, sed recordantes approbamus hoc esse, quod dictum est. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodo adhuc obliti sumus, quod vel oblitos nos esse meminimus. Hoc ergo nec amissum querere poterimus, quod omnino obliti fueramus.

CAP. XX.

Cum omnes beatam vitam, qua solus Deus est, querant, necesse est eam in memoria ac notitia esse, neque enim amaremus eam, nisi nossemus.

1. **Q**uomodo ergo te quero Domine?
Cum enim te Deum meum quero, vitam beatam quero. Queram te, ut vivat
R. 2 anima